

Si decus excellens gener est grande: ecquis Olympi

Est melior Sponsis diuiter rege procus?

Ergo illi & libuit tædas celerare; priusquam

Alea fallacis sit jacienda soli.

Hujus, amor, VECHNERE, tuus concedat amori:

Nec talem amissam filiulam esse dole.

Quin gaudes talem te natam habuisse: placeret

Quæ sponsi tanti, qui regit astra, toro.

Mos est vicinis; tædâ de cælite patri

Gratari: natis funera quando facit.

Absurdus lacrimis philostorgi ille esse videtur:

Sed CHRISTO addictis displicuisse nequit.

Nubere nam CHRISTO præstat: quàm extrema pericla

Quæ scætet hæc mundi lerna, pavere sibi.

Quare & tu luctum, Domine ò mi Compater, istum

Abjice: filiola quem tibi fata ferunt.

Optimè ei prospexisti: super æthera missa est:

Nos eadem excipiet tæda aliquando Polo.

Pro-pater optabam pro-nate: ut in axe sorores

Cernere præmissas non nisi amaret anus.

Ætatem explevit, pro more volentis IOVÆ:

Annis quod terris desit: id astra replent.

Hic